

morsus eorum sit asperrimus, ait Servius. Unde Ovidius :

Asper equus duris contunditur ora lupatis,
Dum placido duos accipit ore lupos.

Hi lupi et lupati, hæc frena gulæ et cupiditatis est ipsa ejusdem mortificatio et continentia, qua quasi freno omnes animi sensus corporisque membra cohibemus, frenamus, domamus, ut ad normam rationis et virtutis incedant.

Nota : Tantum est dissidium odiumque lupi et vis, ut etiam post mortem perduret : « Nam mortuæ oves mortuum lupum fiment, » ait Oppianus, b. III *Cyneget.* Argumento sit, quod fides lupinæ et ovinae in cithara nunquam consonant, sed semper dissonant. Ad hæc, si pulsetur tympanum factum ex pelle lupina, sonum non dabit tympanum factum ex pelle ovina, licet pulsetur, teste eodem Oppiano et Alberto Magno, lib. II, in *Lupo*. Unde impius Ziscas, dux hæreticorum in Boemia, jussit ex corio suo post mortem tympanum fieri, ut eo pulsato Catholici metu correpti in prælio diffugerent, teste Krantzio in *Wandalia*, lib. XI, cap. IX. Apposite; nam hoc ipso lupum imitatus, lupum gregis Dominici, hoc est, hæreticum, se esse professus est, juxta illud Christi : « Attendite a falsis prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces, » *Matth.* VII, 15. Lusit hoc eleganter Alciatus in emblemate, cui titulus, *Vel post mortem formidolosi* :

Cætera mutescunt, corumque silebit ovillum,
Si confecta lupi tympana pelle sonent.
Hæc membrana ovium sic exhorrescit, ut hostem
Exanimis quamvis non ferat exanimem.
Sic cute detracta Ziscas in tympana versus
Boemus potuit vincere Pontifices.

Similiter pauperem compares damæ timidæ, divitem superbum lupo vel leoni, juxta illud Martialis :

Dente timetur aper, defendunt cornua cervum :
Imbelles damæ quid nisi præda sumus ?

Ex dictis collige quanta quamque magnifica et potens sit gratia Dei et Christi nostri, quæ tam contraria inter se charitate jungit et consociat, juxta illud *Isaie* XI, 6 : « Habitabit lupo cum agno, et pardus cum hædo accubabit. » Fecit hoc ad litteram S. Franciscus, qui Eugubii lupum mire noxium ita cicuravit, ut is innoxius quotidie per urbem ambularet, petens annonam sibi necessariam, quam illi a civibus dandam promiserat S. Franciscus, si noxa abstineret. Fecit et S. Gerasimus (male aliqui hoc tribuunt S. Hieronymo), qui leonem docuit comitari et custodire asinum, necessaria bajulantem ad cœnobium, uti habetur in *Vitis Patr.* Fecit et S. Florentius qui ursum mansuefecit, oviumque cus-

todia præfecit, uti refert S. Gregorius, lib. III *Dialog.* cap. XV.

Spiritualiter idipsum quotidie facit, dum nobiles cum plebeis, divites cum pauperibus, principes cum subditis in eadem ecclesia ac Eucharistiæ mensa conjungit, imo lupos in agnos transmutat, dum efferos et barbaros Christi jugo subjicit, humilesque et mites quasi agnos efficit.

Memorable est quod in Vita S. Andreae Corsini Fæsulani Episcopi legimus. Mater enim ejus gravida sibi per somnium visa est parere lupum, qui ecclesiam ingressus, agnus evaderet. Quod paulo post rei declaravit et comprobavit eventus. Nam cum adolescens venationibus vitam ducere, arma tractare, rixas prosequi, parentes negligere, aliaque hujusmodi agere cœpisset, eumque mater increpans, quod illum a Deo precibus impetrasset, somnium prædictum ei narrasset; valde commotus, statim ecclesiam Carmelitarum ingressus, cum preces fudisset, repente quasi de lupo in agnum mutatus, in illorum Religiosorum familiam recipi humiliter petiit, et impetravit; in qua mira sanctitatis laude vixit, ac deinde creatus Episcopus Fæsulanus, sibi austerus, aliis beneficus, miraculis claruit. Hæc de causa Christus dixit suis : « Ite : ecce ego mitto vos sicut agnos inter lupos, » ut scilicet ex lupis faciatis agnos, *Luce* X, 3.

22. QUÆ COMMUNICATIO SANCTO HOMINI AD CANEM? AUT QUÆ PARS DIVITI AD PAUPEREM? — Legit interpretes *κύων*, id est *sancto*, vel *hyæna*, id est *sano*; jam Græca habent *κύων*, id est *hyæna*. Rursum pro *communicatio* et *pars*, græce est eadem vox *κύων*, id est *pax*; unde pro *pars* Jansenius et alii censent legendum *pax*. Sic ergo habent Græca, quæ *pax hyænæ cum cane*, et quæ *pax diviti cum egeno*? Tigurina, *quis consensus est inter hyenam et canem, id est, inter divitem et pauperem*? Ita et Syrus, *quid concordia erit hyænæ cum cane, aut quam concordiam habebit dives cum paupere*? Hyæna est species lupi, vel lupo affinis, quæ capitales cum cane gerit inimicitias, quia insidiatur ovibus, quas protegent canes, uti docet Ælianus, lib. VII *Histor. animalium*, cap. XXII, et Plinius, lib. VIII, cap. XXX : « Hyænis, inquit, utramque esse naturam, et alternis annis mares, alternis feminas fieri, parere sine mare, vulgus credit, Aristoteles negat. Collum et juba continuitate spinæ porrigitur, flectique nisi circumactu totius corporis nequit. Multa præterea mira traduntur; sed maxime sermonem humanum inter pastorum stabula assimilare, nomenque alicujus addiscere, quem evocatum foras laceret. Item vomitionem hominis imitari ad sollicitandos canes, quos invadat. Ab uno animali sepulera erui, inquisitione corporum. Feminam raro capi. Oculis mille esse varietates, colorumque mutationes. Præterea umbrae ejus contactu canes obmutescere. Sicut ergo hyæna insidiatur cani, eumque obmutescere et obstupescere facit, opprimit et

devorat: sic et dives pauperem. Plura de hyænæ dixi *Hobacuc* cap. I, vers. 8, *Jeremiæ* cap. XII, et alibi.

Nostræ Latinae versionis hic est sensus : Quæ potest esse communicatio hominis sancti cum cane, id est, cum immundo, iniquo et impio? sic et quæ *pars*, id est, participatio sive communicatio, potest esse divitis cum paupere, *q. d.* Nulla par et æqua, sed omnis impar et iniqua. Canis enim natura sua, utpote rixosus, gulosus, impudens, fædus, et vomitum suum resorbens, nunc æque ac lege veteri, immundum est animal, adeo ut nec pretium ejus offerre liceat Deo in templo, juxta legem *Deuter.* XXIII, 18. Hinc Judæi Gentes, ob infidelitatem et impuritatem vitæ, vocabant canes; unde Christus : « Nolite dare sanctum canibus, » *Matth.* VII, 6. Et : « Non est bonum sumere panem filiorum, et mittere canibus, » ut scilicet miracula Judæis quasi filiis debita, faciam canibus, id est Gentilibus, qualis erat Chananea postulans filiam possessam a dæmone liberari et sanari, *Matth.* XV, 26. Sic Diogenes vocatus est Canis et Cynicus, id est caninus, ob caninam impuritatem, impudentiam et mordacitatem. Vide de cane et immundis S. Gregorium *XX Moral.* cap. IX, et S. Ambrosium, lib. II *De Danit.* cap. IX, et S. Hieronymum in cap. VI *Matth.* 5.

Audi Rabanum : « Sicut, inquit, rapacitas lupi cum igni innocentia non convenit, sic avari rabies cum simplicis modestia nullo modo concordat. Quæ est enim communicatio sancto homini ad immundum pollutumque sordibus peccatorum? Quia sicut canis revertitur ad vomitum suum, ita qui iterat stultitiam suam. Itaque nulla paritas est superbi divitis cum humilitate pauperis Christi. Ille enim ad deprehendendum semper paratus est, iste ab omnibus sæculi illecebris se abstinet; ille proximum per elationem mentis despicit, iste adversarium suum per humilitatem patientia sustinet. Sed ille imitator diaboli factus, de sublimi in tartarum decidit; iste vero vestigia Christi secutus, de terrenis ad cœlestia regna conscendit. » Similibus luculenter probat Paulus, fidelibus non licere inire connubia cum infidelibus, II *Corinth.* cap. VI, 14 : « Nolite, ait, jugum (conjugii) ducere cum infidelibus. Quæ enim participatio justitiæ cum iniquitate? Aut quæ societas luci ad tenebras? Quæ autem conventio Christi ad Belial? Aut quæ pars fidei cum infidelis? Vos enim estis templum Dei vivi. » Quæ omnia a pari, imo majori, facile adaptes fugæ peccatorum. Si enim justus debet adeo fugere commercium iniquorum, multo magis ipsius peccati; qui enim peccatum perpetrat, quantum in se est, jungit in eadem anima sua justitiam cum iniquitate, lucem cum tenebris, Christum cum dæmone, fidem cum infidelitate, templum Dei cum idolo diaboli. Simile est illud *Jerem.* cap. XXXII, 26 : « Quid paleis ad triticeum? » ubi Chaldæus :

« Sicut paleam a tritico, inquit, sic separo impios a justis, dicit Dominus. » Similia plura acuta habent Philosophi, ut Athenæus, lib. V : « Quid scuto et scepro? » Stratonicus : « Aliud sceptrum, aliud plectrum. » Suidas : « Quæ specillo et gladio communio? » Item : « Quid lecytho et strophio? quid bovi et delphino? quid cani et balneo? »

Nota : Probat Siracides pauperes non debere ambire societatem divitum tribus similitudinibus. *Prima* est, sicut hyænæ non convenit cum cane, sic nec diviti cum paupere. *Secunda*, vers. seq., sicut leo venatur onagros ut devoret, sic et dives pauperem. *Tertia*, vers. 24, sicut superbus abominatur humilitatem, sic et dives pauperem. Rursum conjungit et combinat duas hasce antitheses, scilicet, justus cum impio, et pauperis cum divite, quasi pauperes fere sint justus, et divites impii, juxta illud : *Omnis dives, aut iniquus, aut iniqui hæres*. Nescio enim quæ sympathia et mystica cognatio est virtuti et pietati cum paupertate et pauperibus : « Infirma enim mundi elegit Deus, » I *Corinth.* I, 27. Et : « Pauperes evangelizantur, » *Matth.* cap. XI, 5. Versa vice nescio quæ antipathia sit potentioribus et ditioribus cum ipsis pauperibus et humilibus, imo cum ipsa justitia, paupertate, humilitate et pietate, ut in illud potissimum incumbant, quomodo possint vexare, expilare et opprimere mansuetos terræ. Vide *Ezech.* XXII, 29. Hæc quoad naturam corruptam, quam multi domant et superant per gratiam et virtutem.

23. VENATIO LEONIS, ONAGER IN EREMO : SIC ET PASCUA DIVITUM SUNT PAUPERES. — *q. d.* Sicut leo venatur onagros in deserto, eosque occidit et devorat : sic et dives pascitur substantia et laboribus pauperum. Tigurina, *præda leonum onagri sunt in deserto, itidemque pascua divitum pauperes*; Syrus, *cibus leonis onagri qui in deserto, sic pascua divitis pauperes*.

Onager Græca est vox *ὄναγρος*, significans asinum sylvestrem : componitur ex *ὄνος*, id est asinus, et *ἄγρος*, id est sylvestris. Porro leones venantur onagros, eosque maxime appetunt ad cibum, tum quia leo, cum sit ferus, ferinam carnem, qualis est onagri, appetit, eaque illius gustui optime sapit præ cæteris feris; tum quia onagri in desertis abundant; tum quia onagri omnesque asini natura sunt frigidus, ideoque timidi, imbelles et debiles. Unde Virgilius III *Georg.* ait : « Timidos onagros agitare cursu. » Hæc de eorum natura onagris miram velocitatem et pernicitatem ad fugiendum indidit. Unde Oppianus onagris tribuit « ungulas bonas et robustas, et velocitatem vento comparandam. » Leo igitur quia audax, robustus et pugnax, dominatur onagris quasi timidus : idem quia calidus, pascitur iisdem quasi frigidis. Apposite ergo pauper quia tenuis, debilis et timidus, comparatur onagro : dives vero quia robustus, audax et pugnax, leoni. Accedit quod asinus servile sit animal, omniaque onera dorso

Tres similitudines.

excipiat: sic et pauper servit diviti, omniaque ejus onera humero suo excipit. Patheticè Salvianus, lib. IV *De Gubernat. Dei*: « Venatio leonis, ait, onager in eremo, sic pascua sunt divitum pauperes: quamvis tyrannidem hanc non pauperes tantum, sed pene universitas patiatur generis humani. Quid enim aliud omnium dignitas sublimium, quam proscripcio civitatum? aut quid aliud quorundam, quos taceo, præfectura, quam præda? Nulla siquidem major pauperum est depopulatio, quam potestas. Ad hoc enim honor a paucis emitur, ut cunctorum vastationem solvatur. Quo quid esse indignius, quid iniquius potest? Reddunt miseri dignitatum prætia, quas non emunt: commercium nesciunt, et solutionem sciunt. Ut pauci illustrentur, mundus evertitur. » Huc facit quod Lucianus in *Menippo* lucianice ait, apud inferos sancitum esse, ut animæ opulentorum ad nos reditura, in asinos verlantur, ut a pauperibus exagitantur, sicut ipsi dum viverent, pauperes exagitarunt. Pauperes enim solent esse agasones, et asinos stimulare; nimirum, paupertas divitiis inhiantes, velut agaso asinum, insequitur et stimulat. Quocirca divitem avarum Hieroglyphici comparant gryphi, avi fortissimæ et rapacissimæ, de qua Solinus, cap. xxv, asserit, « in Asiatica Scythia terras esse locupletes, inhabitabiles tamen: nam cum auro et gemmis affluent, gryphes tenere universa, alites ferocissimas, et ultra omnem rabiem sævientes, quarum immanitate obsistente, accessus adveniens difficilis ac rarus sit. » Unde Nicolaus Reusnerus, lib. II, *Emblem.* 35:

Solus aves vincit cunctas qui naribus uncis,
Quem leo, quem tigris, quem pavet acer equus.

De gryphe multa fabulati sunt Poetæ: sed quid vere sint gryphes, docui *Levit.* xi, vers. 13. Hoc est quod ait Job, cap. xxiv, 4: « Subverterunt pauperum viam, et oppresserunt pariter mansuetos terræ. » Ita subinde miseri agricolæ sunt præda nobilium et militum, miseri mechanici præda sunt causicorum avarorum, ait Palacius. Hi enim insidiantur pauperi, ut leo in spelunca sua, *Psal.* ix.

Tropologicè, S. Ephrem in *Parænesi* 1, priorem hujus versuuli partem sic adaptat monachis: « Sicut leo, inquit, formidabilis est onagris, ita monachus contrarius esse debet desideris malis. » Vel, ut alii legunt: « Leo formidabilis est onagris, et talem se monachus ostendat adversus desideria conscientie improbæ. »

Leo ergo symbolum est rapacis, violenti et tyranni. Audi S. Ambrosium, lib. V *Hexam.*, de leone: « Cujus vocis tantum naturaliter inest terror, ut multa animantium quæ per celeritatem possent impetum ejus evadere, rugientis ejus sonitu velut quadam vi attonita atque ieta deficient, atque ipsi in prædam cedant. » Similis est rugitus tyranni. Audi Phavorinum apud Stobæum, *serm.* 48:

« Tyranni, inquit, vultus semper ac vox minax: si leges denuntiet, graviore poenas intendat quam delicta promereantur: si adhortationes habeat, semper ad terrorem se componit, et nunquam sine minis loquitur, ut cives vel ea ratione exterriti acquiescant. » Audi et Senecam, lib. I *De Clementia*, cap. xxv: « Quod istud, dicitur boni, malum est, occidere, sævire, delectari sono cænarum, et civium capita decidere, quocumque ventum est multum sanguinis fundere, aspectu suo terrere ac fugare? quæ alia vita esset si leones ursique regnarent? si serpentibus in nos, ac noxio cuique animanti daretur potestas? Illa rationis expertia, et a nobis immanitatis crimine damnata, abstinent suis, et tuta est etiam inter feras similitudo: apud homines tantum, nec a necessariis quidem rabies temperat sibi. »

24. ET SICUT ABOMINATIO EST SUPERBO HUMILITAS: SIC ET EXSECratio DIVITIS PAUPER. — Quia sicut superbus odit humilitatem, sic dives odit paupertatem; hinc consequenter aversatur et pauperem, quasi paupertate humilem, ideoque vilem et despicabilem, ac proinde nequit esse societas inter pauperem et divitem, sic nec inter superbum et humilem. Tigurina, *humilitas superbo est execrabilis, et item pauper abominatus diviti.* « Sensus consequentia, ait Palacius, ita explicanda erat: ut est abominatio superbo humiliari, ita diviti depauperari sive pauperem esse. At, quia Auctor maluit dicere, pauper, quam paupertas, cogimur ita exponere: Abominandum est superbo in dejectionem incidere; et execrandum est diviti in pauperem incurrere, quem deglubere et expillare non possit. Intellige de divite avaro esse mentionem, cui sterile pratum abominatio est. »

25. DIVES COMMOTUS CONFIRMATUR AB AMICIS SUI: HUMILIS AUTEM CUM CECIDERIT, EXPELLITUR ET A NOTIS. — Probat pauperi non esse familiariter versandum cum divite, tribus similitudinibus: nunc idem probat per varias dissimilitudines, quibus ostendit dissimilem et disparem esse conditionem, sive sortem, pauperis et divitis, ac proinde minus inter se convenire, minusque recte inter se componi et sociari.

Prima est: « Dives commotus, » Græce *συζυγαστος*, id est, agitatus, conquassatus, fluctuans, nutans, illico firmatur ab amicis, qui ei consilio auxilio omni ope et opibus succurrunt, ut labantem erigant et confirmant; at vero *humilis*, Græce *ταπεινός*, id est, vilis et abjectus, qualis est pauper, si in litem, carcerem, spoliationem, aliamve ærumnam vel periculum inciderit, propellitur etiam ab amicis et notis. Tigurina, *dives conquassatus confirmatur ab amicis, at labefactatus humilis ab amicis etiam propellitur.* Syrus hic est diminutus, *dives, inquit, cadit et impellitur in malum; et pauper cadet, et impelletur de malo in malum, q. d.* Dives si cadat, cadet in simplex malum, quia illico adsunt ei amici qui ulterius malum propellant, imo malum præsens abigant: at pauper si

cadat, in duplex, triplex et quadruplex malum cadit, quia ab omnibus protruditur ulterius de uno in aliud, de minore in majus.

Ratio disparitatis est, quia a divite omnes sperant auxilii sui amplam mercedem, a paupere vero nullam, nisi ut cum eo malis omnibus involvantur. Id expertus Job queritur cap. xix, 13: « Noti mei, inquit, quasi alieni recesserunt a me, dereliquerunt me propinqui mei: et qui me noverant, oblitii sunt mei. » Et David *Psal.* ix, 19: « Quoniam non in finem oblivio erit pauperis: patientia pauperum non peribit in finem. » Et inferius, vers. 11: « Tibi derelictus est pauper: orphano tu eris adjutor. » Et Christus *Psal.* xxi, 12: « Quoniam tribulatio proxima est: quoniam non est qui adjuvet. » Vere Scholiastes Theocriti: « Ruente quivis colligit ligna arbore. » Aludit ad *Proverb.* xix, vers. 4: « Divitiæ addunt amicos plurimos: a paupere autem et hi, quos habuit, separantur. » Et vers. 7: « Fratres hominis pauperis oderunt eum: insuper et amici procul recesserunt ab eo. » Huc facit illud Comici:

Invenit amicos hominibus pecunia:
Habebo amicos, si habuero pecuniam.

26 et 27. DIVITI DECEPTO MULTI RECUPERATORES: LOCUTUS EST SUPERBA, ET JUSTIFICAVERTUNT ILLUM. HUMILIS DECEPTUS EST, INSUPER ET ARGUITUR; LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS. — *Tò decepto* duplè accipi potest. Primo, de damno, *q. d.* Si dives fraude, dolo, aliave arte decipitur, ut damnum opum vel famæ incurrat, multi sunt qui illud recuperent et sarciant: sin pauper decipiatur, nemo est qui damnum sarciat, imo vero ipse quasi imprudens aut iners arguitur, velut qui sua inertia aut imprudentia damnum hoc incurrerit. Hunc sensum exigit Latina versio. Ita Palacius: « Dives, inquit, commovetur tribulationibus: non vero ad casum venit, quia firmatur ab amicis ope et consilio, ne cadat. At miser pauper, vix fortuna eum movet, cum jam ecce ruit, notis etiam ad casum impellentibus. Secundo nota, proprium divitum esse decipi, et superba loqui. Nam cum, teste Domino, divitiæ fallaces sint, nihil mirum, si dives decipiatur. Pauper aliquando fallitur, sunt enim incertæ providentiæ nostræ; at multoties sensate loquitur de divite, quem gestos negotiorum suorum aut alius decipit. Tunc enim hi adsunt, qui resarciant, si quam dives jacturam fecit. » Hæc Palacius.

Secundo, de peccato et offensa, *q. d.* Si dives deceptus in errorem vel peccatum aliquod, sive morale, sive civile, inciderit, ut aliquid faciat vel dicat contra legem Dei, Prælati, principis aut populi, multi sunt qui errorem et peccatum hoc corrigant, excusent, tegant, defendant, eumque in integrum restituant: sin pauper offenderit, ab omnibus arguitur. Unde Complutenses vertunt, *cum dives offenderit, multi adjutores: locutus est sensate, id est infanda, sive non dicenda, et iusti-*

ficaverunt eum (quasi qui recte locutus sit): *humilis offendit, et increpaverunt eum; locutus est intellectum, et non est datus ei locus.* *Ahi, collapsi divitis multi sunt sublevatores: locutus est nefanda, et justificaverunt eum.* *Humilis labitur, et insuper objurant eum; loquitur docte, nec datus ei locus; Tigurina, diviti lapsi multi sunt adjutores, et qui nefanda quoque loquentem justum prædicent: humilem lapsum insuper etiam increpant, nec locus datur ei si cordate locutus fuerit; Syrus, dives loquitur, et multi adjutores ejus, et responsa ejus odiosa pro elegantibus habentur: pauper loquitur, et dicunt ei ghuck (est interjectio contemnentis et fastidientis); et si loquitur eleganter, non dant ei locum.* Hinc liquet offensam hic maxime locutionis et linguæ accipi, uti exponit Syrus, et patet ex eo quod sequitur: « Locutus est superba, » etc. Vere S. Gregorius, lib. IV *Moral.* cap. xxix: « Crescit, ait, culpa favoribus nutrita; curari vulnus negligitur, quod dignum præmio laudis videtur; sic magis comprehenditur peccator, et illigatur suismet perversis consiliis. » Hoc est quod queritur *Psalm.* 1: « Quoniam laudatur peccator in desideris animæ suæ, et iniquus benedicitur? » *Psal.* ix, 24.

Uterque hic sensus huic loco et Græcæ ac Latine versioni congruit. Græcum enim *απαλλω* (unde Latinum *fallo*, quod in multas deinde linguas transit: inde enim *fallen* Germanorum, *faillir* Gallorum, *fallare* Italicorum) multa significat, nimirum seduco, decipio, aberrare facio, subverto, dejicio, noceo, supplantio, turbo, evertio, pessundo, perdo: unde *απαλλω* est error, lapsus, vitium, offensa, erratum, casus, jactura, clades, calamitas; et *απαλλω* dicitur qui accepit calamitatem, affectus clade, spe destitutus, deceptus, frustratus opinione, errore falsus; et *απαλλω* vocatur infidus, dubius, periculosus, perniciosus, lubricus, incertus, inconstans, noxius, item titubans, vacillans fallente vestigio.

Est hæc secunda antithesis sortis divitis et pauperis: pauperem enim vocat humilem, quia paupertas est occasio humilitatis, sicut opes superbiæ.

LOCUTUS EST SENSATE, ET NON EST DATUS EI LOCUS. — Contemnitur enim sermonis prudentia, propter personæ inopiam, ait Jansenius. Quod inter cæteras mundi vanitates miratur Sapiens *Eccle.* ix, 16: « Quomodo, inquit, sapientia pauperis contempta est, et verba ejus non sunt audita? » Hinc rursus liquet *tò decepto* non tantum de offensa et peccato, sed et quolibet damno, errore, deceptione accipiendum esse, *q. d.* Pauper errorem suum et deceptionem excusavit et purgavit, loquendo sensate; at non est ei datus locus, id est, non est auditus, nec receptus ejus sermo.

Notat S. Chrysostomus pauperes sæpe esse prudentiores divitibus, velut humiles superbis, justos injustis; imo idem asserit Salomon *Prov.* xxviii, 11: « Sapiens, inquit, sibi videtur vir dives: pauper autem prudens scrutabitur eum; » Septuaginta,

condemnat; Chaldæus, contemnit eum; in quem locum vide nostrum Salazar sextupliciter idipsum explicanter. Sed audi S. Chrysostomum homil. in *Psal. iv*: « Quod si Deus sinit aliquos degere in mendicitate et inopia, id facit ut animam illorum corrigat, et sapientiæ studiosiorem efficiat: sciat enim aperte, quod divitiæ quidem sunt vitiorum et errorum ministræ, paupertas autem mater philosophiæ. Idque res ipsæ indicant quotidie, quod pauperes sint divitibus prudentiores, et sapientiæ amantiores. » Idem, hom. *De divitiis et paupertate*: « Dives, ait, sive bonus, sive malus, in pauperum conscientis apparet. Talis eris, qualem te æstimant pauperum greges. » Nam divites non aliter justî et boni esse queunt, nisi in pauperes benefici sint: id autem experiuntur sciuntque pauperes. Ab iis ergo, non a semetipsis, suæ virtutis æstimationem petant oportet.

28 et 29. DIVES LOCUTUS EST, ET OMNES TACUERUNT, ET VERBUM EJUS USQUE AD NUBES PERDUCENT. PAUPER LOCUTUS EST, ET DICUNT: QUIS EST HIC? ET SI OFFENDERIT, SUBVERTENT ILLUM. — Est hæc tertia antithesis sortis divitis et pauperis, quod dives multos habeat adulatorem, qui ejus dicta qualiacumque silentes audiant, mirentur, laudent, et usque ad sidera extollant. Pauper vero multos habeat contemptores et reprehensores, qui ejus dicta redarguant, aut, si id nequeant, ea ob dicentis vilitatem aspernentur, dicentes: Quis est hic mendicus, qui in hoc tam nobili purpuratorum consessu loqui, imo docere audeat? sicut Christo docente insultarunt Scribæ: « Nonne hic est fabri filius? » *Matth. xiii, 55*. Quod si in verbo quopiam lingua aut memoria lapsus erraverit, illico eum evertere et perdere satagunt. Unde Syrus: *Dives, inquit, loquitur, et omnes auscultant et approbant, usque ad nubes evehunt illum. Pauper loquitur, et dicunt: Quid dicit? et, si impingat, deturbant illum. Vis exempla? accipe. Herodi Agrippæ peroranti assentatores acclamarunt: « Dei voces, non hominis; » sed illico cœlitus percussus interiit, Actor. cap. xii. Alexander Magnus Hammonis templum ingrediens a sacerdote salutatus est: « Salve, fili, et hanc salutationem a Deo habeas. » Cui Alexander: « Lubens, o pater, excipiam eam salutationem, et posthac lubens tuus ero filius, si mihi totius orbis imperium concesseris. » Ita Plutarchus in *Vita Alexandri*. Anaxarchus, cum Alexandrum se ob Cliti necem discruciantem videret: « Contigit justitia, inquit, quæ diis assidet; » persuadere cupiens quidquid a rege fieret, jus fasque esse; nam et Alexander pro deo se haberi sustinebat. Ita Plutarchus et Laertius, lib. IX, cap. x. C. Caligula pariter ut deus coli volebat; unde quæsit a Vitellio, an non vidisset se cum luna congregari? Cui ille: « Solis, inquit, domine, vobis diis licet invicem videre. » Ita Dio, lib. LIX. Stratocles: « Quidquid, inquit, rex (Demetrius) jubet, id erga deos sanctum, et erga homines iustum est. » Ita Plutarchus in *Demetrio*. Sapien-*

tius Sigismundus Imperator, teste Aenea Sylvio, audiens adulantem: « Diis similis es, o Imperator; » alapam ei impegit, dicentique: « Cur me cædis, Imperator? » respondit: « Cur me mordes, adulator? » Vere Juvenalis, *Satyra 3*:

Quantum quisque sua nummorum servat in arca,
Tantum habet et fidei.

Et Horatius, lib. II *Serm.*, satyr. 3:

Omnis enim res
Divitis pareat; quas qui construxerit, ille
Clarus erit, tortis, justus, sapiens.

Ex adverso:

Haud pondus ullum pauperum verbis inest,

ait Comicus.

Praclare S. Hieronymus in illud *Eccle. cap. ix, 17, Verba sapientum audiuntur in silentio*: « Quemcumque, inquit, videris in ecclesia declamatorem, et cum quodam lenocinio ac venustate verborum excitare plausus, ac risus excutere, audientes in affectum lætitiæ concitare, scito signum esse insipientiæ, tam ejus qui loquitur quam ejus qui audit; verba enim sapientum in quiete et moderato audiuntur silentio. » Pauper ergo vocem habet demissam, et paupertate interclusam: hinc et elinguis et mutus habetur. Quod si forte hiscere audeat, in eum linguas distringunt: Quis est hic? unde illi vox? unde lingua? Dives vero grandisonum intonat; bullata loquitur et sesquipedalia; ei omnes applaudunt et adulantur. Vere Quintus Curtius, lib. VIII *De Vita Alexandri Magni*: « Perniciosam adulatio, inquit, perpetuum regum malum est, quorum opes assentatio sæpius quam hostis everlit. » Et Constantinus Magnus, teste Aurelio Victore in ejus *Vita*: « Adulator, inquit, est sorex et tinea palatiorum. » Et S. Chrysostomus, hom. 17 *in Epist. ad Romanos*: « Sicut pueri ludentes, inquit, ex fœno coronas invicem imponunt; coronatum autem sæpe ejus rei ignarum, post tergum irrident: ita sane et nunc qui te in faciem prædicant, apud seipos elanculum subsannant. »

30. BONA EST SUBSTANTIA, CUI NON EST PECCATUM IN CONSCIENTIA: ET NEQUISSIMA PAUPERTAS IN ORE IMPII. — Græca de more concisa hæc tantum habent, *bona est substantia cui non adest peccatum, et mala paupertas in ore impii*. Bonæ enim sunt divitiæ quibus nullum inest peccatum, et mala paupertas in ore impii; hunc enim significat Græcum *ἀσεβούς* (licet Vatablus malit legere *ἀσεβούς*, id est *pii*), *q. d.* Paupertas obstat quo minus audiantur pia piorum consilia. Syrus, *bonæ sunt divitiæ sine delictis, et mala est paupertas ad latus peccatorum*, id est vicina et conjuncta peccatis. Est figura quæ a rhetoribus vocatur correctio. Quia enim multa mala dixit de divitiis et divitibus, ac ex

adverso multa bona et pia de paupertate et pauperibus: hinc, ne quis putet divitias in se esse malas, ideoque efficere malos; paupertatem vero in se esse bonam, ideoque facere bonos, ac consequenter omnes divites esse malos, omnes vero pauperes bonos: idipsum corrigat, docetque tam divitias quam paupertatem in se esse adiaphora, id est nec bona nec mala, sed bonas esse bonis, qui iis bene utuntur; malas vero malis, qui iis ad mala abutuntur.

Primo ergo Rabanus sic exponit: « Bona et utilis est substantia quæ per justitiam acquiritur, et non per fraudem vel avaritiam congregatur, quia hujusmodi possessoris conscientiam doli vel malitiæ peccatum non concutit. Conturbat autem domum suam qui sectatur avaritiam, quoniam abominatio est apud Deum. »

Secundo et generalius: « Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia, » *q. d.* Bonæ sunt opes bonis, qui in conscientia carent peccato: hi enim opibus quasi instrumentis utuntur sed multa bona opera eleemosynarum; ex adverso paupertas nequissima est in ore impii, quia impius ob paupertatem murmurat, blasphematur, maledicit Deo, mentitur, pejerat, fraudat, etc. Ergo conscientia bona vel mala facit divitiæ et paupertatem esse bonas vel malas; igitur ipsæ in se præcise non sunt malæ, sed mala est iis utentis, imo abutentis, concupiscentia, avaritia, superbia, quæ eas et earum usum facit malum; nec etiam in se bonæ sunt, sed bona est eleemosyna vel humilitas et patientia justî, quæ utralibet bene uti novit.

Pari modo delictæ, honores, dignitates sunt adiaphora, nec bona nec mala; sed gula, superbia, ambitio ea gulosis, superbis, ambitiosis efficit mala; temperantia vero, humilitas, modestia eadem temperantibus, humilibus, modestis efficit bona. « Igitur bonæ sunt divitiæ in homine pio, ait Palacius, ut in Abraham, Isaac, Job; sed melior paupertas in eodem homine pio, » ut in Christo et Apostolis. Paupertas vero non est mala in impio, licet ipse de ea pessime dicat. « Et quod Seneca, *epist. 88*, docet divitias non esse bonas, non admodum contradicit huic sententiæ. Vocat enim ille bonum, quod bonum habentem reddit. Auctor vero noster non dicit divitias facere bonos, sed potius quod sint bona bonis et sanctis hominibus. Igitur divitiæ non dant, sed recipiunt bonitatem. » Hæc Palacius.

Huc facit illud S. Ambrosii, lib. VIII *in Lucam*: « Divitiæ ut impedimenta improbis, ita bonis sunt adjumenta virtutis. » Et illud Aristonymi apud Maximum, *serm. 12*: « Sicut ex his qui idem vinum hiberint, alii bacchantur, alii furunt, alii tamen mitiores redduntur: sic etiam qui patres habent divitias, non tamen pariter afficiuntur. » Et illud S. Bernardi, lib. IV *De Considerat.*: « Aurum et argentum, et cætera hujusmodi, quantum ad animi bonum spectant, nec bona

sunt, nec mala; usus tamen horum bonus, abusus mala; sollicitudo pejor, quæstus turpior. »

Tertio, apposite sic exponas: « Bona est substantia cui non est peccatum in conscientia, » *q. d.* Bona est substantia non magna et opulenta, sed carens peccato, et sancta. Justus enim suis licet paucis contentus, ditior est injusto opulento, qui nullis opibus satiatur, juxta illud Pauli: « Est autem quæstus magnus, pietas cum sufficientia, » I *Timoth. vi, 6*. « At vero nequissima est paupertas in ore impii, » *q. d.* Impius detestatur paupertatem ut rem pessimam. Eadem ergo substantia, licet tenuis, justo erit bona, quia sufficiens et jucunda; impio vero qui tenuitatem odit, et vult luxuriari, erit pessima et molestissima. Sic sæpi in Scriptura bonum vocatur id quod gratum est jucundum et delectabile, ut: « Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum! » *Psal. cxxxii, 1*. Ex adverso malum, nequam et nequissimum vocatur id quod ingratum est, triste et molestum, ut: « Sufficit diei malitia, id est afflictio, sua, » *Matth. vi, 34*. Significat ergo Siracides veras et bonas, id est jucundas divitias sitas esse in bona conscientia; hæc enim semper læta est, suisque contenta. Veræ autem divitiæ sunt quæ animum satiant, eumque serenum, contentum lætumque reddunt, juxta illud Poetæ:

Quis dives? qui nil cupit. Et quis pauper? avarus,

qui omnia cupit, et nullis opibus saturatur: quare sicut veræ opes sitæ sunt in bona conscientia, ita vera paupertas sita est in mala conscientia, qualem habet avarus. Sic Democritus rogatus, « quomodo quis dives fieri posset? » respondit: « Si cupiditatem pauper erit; » ac proinde, « beatus est, non dives, sed divitiis bene utens. » Rursum: « Illi qui naturalibus divitiis contenti sunt, multo beatiores sunt iis, qui, cum multa possideant, plura tamen concupiscunt; illis enim nihil deest, his plura quam possident. » Ita Maximus, *serm. 12*. Addit Stobæus Democritum dixisse: « Si divitias non expetes, pauca tibi multa videbuntur; parva enim appetentia ex inopia divites facit. » Epicurus ad Pythoclem: « Si vis, ait, te divitem facere, non pecuniæ adjiciendum, sed cupiditatibus detrahendum. » Cleanthes pariter rogatus, qua ratione quis locuples evaderet? « Si cupiditatem, inquit, fuerit inops. » Ita Stobæus, *serm. 92*. Epictetus interrogatus, « quis inter homines esset dives? » respondit: « Cui satis est quod habet. » Socrates magnificendas esse divitias dixit, si lætitiæ sibi conjunctam haberent. Idem rogatus « quis esset ditissimus? » « Qui paucissimis, inquit, contentus est. » Ita Antonius in *Melissa*, part. I, *serm. 37*, ubi et addit eum dixisse: « Satius est in paucis facultatibus continentem hilariter agere, quam in magnis infelicitate. » Alemenes objurgatus quod, cum esset ditissimus, parce tamen viveret, respondit: « Deest eum qui multa possidet, pro ratione, non

pro libidine vivere; » iudicans noxias esse opes, nisi adhi animus iis superior, qui possit earum usum, non ex copia, sed ex necessitate moderari. Ita Plutarchus in *Lacon*.

Huic expositioni valde congruit id quod sequitur: « Cor hominis, » etc.

Mystice, Lutherus, Calvinus cæterique hæretici oderunt paupertatem Evangelicam, eamque velut supersticiosam condemnant, quia hæretici impieque sunt; cupiunt enim libere vivere, ac ventri et veneri indulgere.

31. COR HOMINIS IMMUTAT (Syrus, *alterat*) FACIEM ILLIUS, SIVE IN BONA, SIVE IN MALA, — puta sive ad hilaritatem et lætitiā, sive ad tristitiā et mœstitiā. Quam paulo ante vocavit *conscientiam*, eandem hic vocat *cor*; alludit enim ad physicam cordis in membra et faciem actionem et influxum, q. d. Cor bonum et sanum physice facit faciem bonam, id est succulentam, roseam, hilarem; ex adverso cor malum, et male sanum, facit faciem malam, id est macilentam, luridam, tristem: ita pariter, moraliter sive ethice, cor bonum, id est justum et sanctum, ideoque hilare et jucundum, facit faciem bonam, id est gravem, modestam, piā et sanctam, ideoque hilarem et jucundam. Ex adverso cor malum, id est iniquum et impium, ideoque perturbatum, anxium et triste, facit faciem sibi similem, scilicet malam, id est iniquam, incompositam, dissolutam, ideoque perturbatam, anxiam et tristem. Cor enim omnes suas passiones et affectiones transmittit in reliquum corpus, sed præsertim in faciem. Nam, ut ait Jansenius: Et si vultus volvi possit varieque fingi, tamen plerumque est index animi, in quo expressa sunt signa iracundiæ, clementiæ, hilaritatis et tristitiæ; item signa conscientiæ, ac timoris et verecundiæ.

Docet ergo Siracides veras opes et paupertatem, non tam consistere in rerum copia vel inopia, quam in cordis bonitate vel malitia, ut ille sit dives et fortunatus, qui bonum habet cor et conscientiam, quæ totum corpus, ac præsertim faciem facit bonam et hilarem, in eaque se ostendit, et ab omnibus cernitur; ille vero sit pauper et miser, qui malum habet cor et conscientiam, quæ se in totum corpus, sed præsertim in faciem diffundit, eamque efficit tetram, confusam, turbidam, anxiam, tristem. « Igitur cor, ait Palacius, est, quod tristitiā aut lætitiā etiam usque ad faciem emittit. Cor piū lætitiā et velut pietatem in faciem transfundit; cor impium impietatem etiam in facie demonstrat. Si igitur vis esse felix, cordis sit tibi cura prima. Collige hinc faciem esse vestigium cordis, vehiculum animæ, lucem præcordiorum, et, ut S. Hieronymus dixit, speculum mentis. »

Unde illud Senecæ in *Hercule Oetæo*, act. 2 :

Licet ipsa neget,
Vultus loquitur quodcumque tegit.

Et illud Ovidii II *Metamorph.* :

Heu, quam difficile est crimen non prodere vultu.

Hoc est quod ait Isaias cap. III, 9 : « Agnitio vultus eorum respondet eis. »

Præclare Cicero, lib. III *De Orat.* : « Omnis, inquit, motus animi suum quemdam a natura habet vultum, et sonum, et gestum. Animi imago vultus est, indices oculi; nam hæc est una pars corporis, quæ, quot animi motus sunt, tot significationes et commutationes possit efficere. Oculi enim sunt quorum tum intentione, tum coniectu, tum hilaritate motus animorum significemus. Nam oculos natura nobis, ut equo et leoni setas, caudam, aures, ad motus animorum declarandos dedit. » Et *De Petit. consul.* : « Vultus, inquit, ac frons animi est janua, quæ significat voluntatem abditam ac retrusam. » Moraliter, quantum bonum, et quanta felicitas sit bonæ conscientiæ, ac quanta infelicitas malæ et perversæ, multis ostendi I *Joan.* II, vers. 4, et cap. III, vers. 31. Græca nonnulla, ut Complutenses addunt, καὶ ὀφθαλμοὶ πρόσωπον ἐν τέρπει καρδίᾳ ἐλλογουσα, id est, et bonum reddit vultum in delectatione cor virens et virens; juxta illud *Prov.* XVII, 22 : « Spiritus tristis exsiccet ossa : animus vero gaudens ætatem floridam facit. »

32. VESTIGIUM CORDIS BONI, ET FACIEM BONAM DIFFICILE INVENIES, ET CUM LABORE. — Græce, *vestigium cordis in bonis* (alii vertunt, *in rebus secundis*) est *vultus hilaris*; et *inventio paraboliarum cogitatio*, vel, ut Romana, *cogitationes cum labore*, q. d. Signum, quod cor sit in bonis, id est in rebus prosperis, hilare et lætum, est vultus hilaris, uti jardi dixi; signum vero cordis occupati, et molesta paraboliarum scrutatione afflictivi, est cogitatio laboriosa, quæ se vultu meditabundo, severo et tristi prodit. Unde et Latini nonnulli codices post *faciem bonam*, addunt, et *inventionem paraboliarum*, itaque legendum censet Jansenius, ut Latinus respondeat Græco, sensumque esse, q. d. Invenies difficile et cum labore vestigium cordis boni, hoc est faciem bonam, et inventionem paraboliarum, id est absconditarum sententiarum, quia utrumque non nisi exercitio virtutis et studii obtinetur, hoc est, nec virtus quæ sola solide lætificat, nec sapientia quæ mentem illuminat et exhilarat, sine labore paratur. Favet versio Tigurina, *vestigium cordis rebus secundis est vultus hilaris*; alioqui *recondita deprehendere laboriosa cogitationis est*; aliter Syrus, *vestigium cordis boni facies clara* (lucida), et *pluralitas narrationum conscientia peccatorum*, q. d. Qui sibi conscius est peccati, multa fabulatur et narrat, ut peccatum tegat dissimuletque, libertatem vero præ se ferat, et lætitiā bonæ conscientiæ simulet.

Nostræ Latine versionis hic est sensus: *Vestigium cordis boni* per appositionem vocat *faciem bonam*: ex hac enim quasi ex certo vestigio licet *vestigare cordis bonitatem*; quare copula et di-

more sumitur pro *id est*, ut sensus sit, q. d. *Vestigium cordis boni*, id est, *faciem bonam*, quam jam commendavi, puta hominem, qui ex conscientiæ tranquillitate, patientia et lætitiā semper sit bono, id est placido, sereno, nitido et hilari vultu, difficile est invenire, tum quia pauci sunt boni et sancti; tum quia etiam sancti facile incidunt in peccata venialia et cordis perturbationes, ut impatientiam, iram, mœstitiā, quæ faciem malam, id est iratam vel tristem, internæ iræ, vel tristitiæ indicem efficiunt; tum quia aliquando mali, qui malo sunt corde, præ se ferunt faciem bonam et hilarem, ut internam cordis malitiam tegant et

dissimulent, uti Joab hilarem vultum ostendit Abner et Amasæ, cum eos fraudulenter occidit, II *Reg.* III, 27, et cap. XX, 9. Ex adverso Esther, cap. XV, præ se ferens hilarem vultum, textit et dissimulavit internum cordis dolorem et pavorem. Ita Rabanus.

Faciem ergo bonam intellige constanter jugiterque bonam, id est serenam et hilarem; hanc enim difficile est invenire. Exemplum est in S. Antonio, qui, ut scribit S. Athanasius, jugiter erat vultu læto, adeo ut ex eo solo unus ipse inter tot millia monachorum agnosceretur ab iis qui eum non norant, nec viderant.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

SYNOPSIS CAPITIS.

Docet quis sit beatus, nimirum eum qui cavet ne verbo aut facto labatur, quique sibi et aliis est beneficus.

Unde multis insectatur sordes avaritiæ. Secundo, vers. 12, ad hanc justitiā et beneficentiam exstimulat per memoriam mortis instantis. Quare tertio, vers. 22, beatum ita definit et circumscrit: Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei.

1. Beatus vir, qui non est lapsus verbo ex ore suo, et non est stimulatus in tristitia delicti. 2. Felix, qui non habuit animi sui tristitiā, et non excidit a spe sua. 3. Viro cupido et tenaci sine ratione est substantia, et homini livido ad quid aurum? 4. Qui acervat ex animo suo injuste, aliis congregat, et in bonis illius alius luxuriabitur. 5. Qui sibi nequam est, cui alii bonus erit? et non jucundabitur in bonis suis. 6. Qui sibi invidet, nihil est illo nequius, et hæc redditio est malitiæ illius: 7. et si bene fecerit, igno-
ranter, et non volens facit: et in novissimo manifestat malitiam suam. 8. Nequam est oculus lividi: et avertens faciem suam, et despiciens animam suam. 9. Insatiabilis oculus cupidi in parte iniquitatis: non satiabitur donec consumat arefaciens animam suam. 10. Oculus malus ad mala: et non satiabitur pane, sed indigens et in tristitia erit super mensam suam. 11. Fili, si habes, benefac tecum, et Deo dignas oblationes offer. 12. Memor este quoniam mors non tardat, et testamentum inferorum, quia demonstratum est tibi: testamentum enim hujus mundi, morte morietur. 13. Ante mortem benefac amico tuo, et secundum vires tuas exporrigenes da pauperi. 14. Non defrauderis a die bono, et particula boni doni non te prætereat. 15. Nonne aliis relinques dolores et labores tuos in divisione sortis? 16. Da, et accipe, et justifica animam tuam. 17. Ante obitum tuum operare justitiā: quoniam non est apud inferos invenire cibum. 18. Omnis caro sicut fœnum veterascet, et sicut folium fructificans in arbore viridi. 19. Alia generantur, et alia dejiciuntur: sic generatio carnis et sanguinis, alia finitur, et alia nascitur. 20. Omne opus corruptibile in fine deficiet: et qui illud operatur, ibit cum illo. 21. Et omne opus electum justificabitur: et qui operatur illud, honorabitur in illo. 22. Beatus vir, qui in sapientia morabitur, et qui in justitia sua meditabitur, et in sensu cogitabit circumspectionem Dei. 23. Qui excogitat vias illius in corde suo, et in abscon-